



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 7. Non esse iudicandum secundùm faciem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

te potentissimum est venenum, si contera-
tur, ita contingit, vt formosissimus homo,
mente sit prorsus virulenta. Quid conchis
asperius, quid verrucosum magis? intus
tamen quàm frequenter lucidissimi reperi-
untur vniones? Corpus animi domicilium
est. Vt ergo sæpe vilem casam subierunt
reges, sic, sæpe in exiguo, aut curuo corpo-
re rectæ animæ habitauerunt. Ostendit id
in Aesopo natura, cuius animus cùm ex-
cellens esset, vultus fuit barbarus. Osten-
dit in Galba oratore eloquentiâ claro, sed
quem gibbus ingens premebat, non secus
ac si burdonem ageret, aut asinum clitel-
larium. In eum igitur malignè lusit M.
Lælius, cùm diceret, *ingenium Galba malè
habitare*. Nimirum, vt Aristoteles sapien-
ter pronunciauit: *Deformes naturâ nemo
reprehendit: sed eos, qui ob otium vel negligen-
tiam tales euaserunt.*

Aristot.
lib. 3.
Ethic. c. 5.

§. VII.

Non esse iudicandum secundùm faciem.

Quòd si illos reprehendimus, quos na-
tura deformes fecit, illum reprehendimus,
qui dixit: *Nolite iudicare secundùm faciem, Io. 7. 24.
sed iustum iudicium indicate.* Quid enim de
Christo iudicassent illi, qui et si alioqui es-

Psal. 44. 3 set speciosus præ filiis hominum, tamen eum
 inter Iudæorum manus dirissima patientē
 Isa. 53. 4. considerantes dixerunt: *Verè languores no-*
stros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:
& nos putauimus eum quasi leprosum, & per-
cussum à Deo & humiliatum? Quid de Za-
 chæo iudicandum fuisset, qui *statura pusillus*
 1. Cor. 19. 19. *erat?* Quid de Paulo, *cuius presentia corpo-*
ris infirma, & sermo contemtibilis erat?
 Quem & statura improcerum, & capite
 caluastrum nonnulli descriperunt? Fuit
 sanè Africanus Scipio, fuit Iulianus Cæsar
 corpore celso; sed numquid illis cessit vel
 belli laude Alexander Macedo, vel imperij
 dignitate Augustus, qui ambo breues fue-
 runt? Pulchrius fuit Alexandrum gestis,
 quàm membris Magnum extitisse. Ad
 eundem modum, teste Iosepho, Asinaeus
 Iudæorum dux, statura parua, animo ex-
 celso fuit. Et tamen ita cæci sumus ad vir-
 tutis æstimationem, vt queramur, natu-
 ram nobiscum illiberaliter egisse, si non
 omnia nobis pulchra dedit, quæ in alijs
 miramur? immò & alios contemnimus,
 quos Therites esse videmus? *Deformis spe-*
cie, ait Eustachius, nobis inauspicatus & in-
faustus occurrens, minimè bonus esse creditur;

Ioseph.
 l. 18. An-
 tiqu. c. vlt.
 Eustach.
 lib 1
 Ethic. c. 6.

cum plerique exteriorem formam corporis occulti animi signum esse indicant. Quantum hoc iudicium erret, quamque Naturæ authori vehementer displiceat, Nicephorus hac historia docet.

Niceph.
l. 11.
Eccl. hist.
c. 33

§. VIII.

Deformes Legatos despiciens Valentinianus à Deo punitus.

Ea tempestate, quòd Sauromata Romanam ditionem, eamque Imperij partem, que ad Occidentem vergit, excursionibus vexarent, Valentinianus cum ingenti belli apparatu aduersus eos est profectus. Atque illi tantam Imperatoris expeditionem formidantes, legatis missis pacem ab eo petierunt. Quos ubi deformes esse vidisset, an uniuersitales essent Sauromata, interrogauit. Et quum illi dixissent, optimos quosque, qui et genere, et forma prestarent, ab eis legatos solere mitti: ira atque furore multo correptus grauiam se pati dixit, et maximè infortunatum esse, quòd ad tempora sua peruenisset Romanorum imperium, si Sauromata, gens tam barbara et informis, in qua reliquos isti excelleret, sedibus suis contenti esse nollent: sed confidentia tanta impulsus, ditionem suam percurrerent, et bellum titillatione quadam illecti Romanis inferrent. Et quum ita indi-

H s gnaretur.